# PIO IX. PONT. MAX.

FORMIDOLOSISSIMIS TEMPORIBUS INVICTISSIMO

PACIFERO LEGIFERO

CHRISTIANI NOMINIS GLORIA

APUD EXTERAS NATIONES

RESTITUTA AUCTA CONFIRMATA

**IMMACULATA DEIPARAE VIRGINIS CONCEPTIONE**

UNIVERSO PATRUM POPULORUMQ. CONSENSU

INTER FIDEI DOGMATA RELATA

LORETANA BASILICA

FAUSTO MAJESTATIS SUAE SPLENDORE ILLUSTRATA

QUOD

ANCONAM BENIGNISSIME INVISERIT EXHILARAVERIT

ALUMNI EPHEBEI ALOISIANI ET CLERICI URBIS ATQUE DIOECESIS

AD AUSPICATISS. ADVENTUS LAETITIAM DECLARANDAM

REVERENTI ANIMO GRATULANTUR

# ELEGIA

Indue laetitiae claros, urbs Dorica, cultus!
Ac resonent plausus per fora, perque vias:
Exultent colles, quibus ardua surgis; et undae
Gaudia concipiant aequoris Adriaci.
Pontificum tibi summus adest, pater inclytus orbis,
Inclytus et gestis et pietate PIUS.
Aspice quae placidae majestas regia frontis;
Aspice in augusto quam gravis ore decor.

Laeta dies, qua sancta licet nos ora colentes
Cernere, et ad sanctos procubuisse pedes.
Ut te, magne Pater, post tot discrimina rerum,
Post varios casus, tabificasque lues,
Defessi aspicimus! decimus jam volvitur annus,
Cum Tibi Christiadum contigit imperium:
Hei mihi quam diris fremuere tumultibus urbes!
Quantus in immenso saeviit orbe furor!
Quos pius amplexus fueras clementibus ulnis,
Quos dederas patria deliciisque frui;
Hi Tibi, proh scelus! insidias struxere rebelles,
Intuleruntque manus, expuleruntque domo.
Exul in externas terras es abire coactus;
Quaque pateret iter, quaerere perfugium.
At Tibi non animus, non cessit mascula virtus;
Christiadumque rei maxima cura fuit:

Percussique tuo caelesti fulmine sontes,
Quamlibet audaces diriguere metu:
Teque vocante, simul quatuor victricibus armis
In sedem populi Te retulere tuam.
Plauserunt reduci gentes; ac luce refulsit
Hostibus ejectis candidiore Fides.
Tuque nova virtute vigens, jam sedulus instas
Undique Christiadum consuluisse rei.
Et Batavas terras, et fines respicis Anglos;
Respicis eoas, occiduasque plagas:
Cunctaque, temporibus quae sunt accommoda, praebes;
Et quo rite decent, omnia restituis:
Quaeque diu perpessa Fides est vincula regnis
Austriacis, inito foedere, dissoluis.
Denique, caelesti afflatus divinitus aura
(Felix, cui tantum munus obire datum!)

Lege ratum statuis, quod nullam ab origine labem
    Pertulerit Genetrix intemerata Dei:
Intemerata Dei Genetrix, qua vindice tandem
    Cuncta est errorum discutienda cohors.
Quis laudes aequare tuas, rex maxime regum,
    Quisve tibi gestas res numerare potest?
Tu commune bonum, et civilia commoda curas;
    Tuque foves artes, justitiamque foves.
Auspice Te charitas Vincentî fervet, et aegris
    Per mare per terras sedula praestat opem.
Salve, magne Pater, quo nil sublimius usquam
    Omnibus est terris, nobiliusque nihil.
Salve; quosque Tibi meritas urbs Dorica plausus
    Ingeminat, visu laetificata tuo,
Excipe nunc facilis. Cunctis prae gentibus Ancon
    Excellet, regno dedita Pontificum.

Nos autem propius, Lodoix quos nomine Sancti
Dicta tenet sedes munere Pontificis: (*)
Quorum unum Romae lectos nunc inter ephebos,
A Te nomen habens, clara palestra tenet;
Aspice nos propius. Ne dedignare, precamur,
Quae Tibi carminibus pignora laetitiae
Offerimus, gratique animi: nos lumine dextro
Respice; neve humiles, Maxime, despicias.

(*) Leonis XII. ut patet ex sequentibus inscriptionibus ephebei, ejusque hortorum januae superpositis.

---

ANNO · MDCCCXXV ·

LEO · XII · PONT · MAX ·

CVRANTE · BELISARIO · CRISTALDI

V · R · AERAR · PONTIF · PRAEFECTO

DOMVM · CVM · TEMPLO

AERE · INSVPER · MVNIFICE · DATO

EPHEBIS · ALOISIANIS

IN · PERPETVVM · ADTRIBVIT

---

LEO · XII · PONT · MAX ·

ADOLESCENTIBVS · ALOISIANIS

HORTOS

AD · SOLATIVM · CONCESSIT

AN · CHR · MDCCCXXV ·

# CARMEN

Huc ades o tandem votis optate secundis,
Et Tibi devotas propius, PATER, adspice sedes.
Nonne vides quanto dissultent undique plausu
Cives et memores revehant tua ad aethera gesta?
Hoc Tibi promeruere decus Prudentia, Candor,
Consilium, Virtus adversis nescia flecti,
Sublimisque Animus. Summa stat mente repostum,
Ut validis nimbis actus, vastaque procella
Exul in externo quaesisti littore tectum:
Ut gens tota tuo magno concussa dolore

Impatiensque suae fidei monumenta referre,
Et facinus cupiens ausumque piare profanum
Te multis oneret donis et laudibus ornet.
Jam viget, aeternumque manebit gratia facti
Te serto niveo diam decorasse Parentem,
Candida quae fugiens nigrae contagia culpae
Insultans colubri contempsit sola furorem.
Quis sileat, quamvis tam grandia munera fundas,
Et solo inferior caelesti Principe Princeps,
Lucida qui nitidi penetralia pandis olympi,
Et caligantes fauces occludis averni,
Te duce, quis sileat, ruptis Ecclesia vinclis,
Majores carpat, conjuncto foedere, fructus?
Gaudia fronte gerens, manibus nova gaudia plenis
Diffundens, legesque sacras, divinaque jura
E caelo revocans conspargat lumine mentes?
An memorem fusas magna cum laude per orbem
Divitias, columen, rebusque levamen in arctis?

Exceduntne animis surgentia templa columnis,
Aut aedes studium sacrae reserare juventae
Flexilis unde aetas virtutis ad ardua crescens
In populos fundat divinae oracula vocis,
Errorum scelerumque repellat lumine noctem?
Huc ades ergo, PATER, solio decus addite Petri,
Fama inlustrior, et cunctis memoratus in oris,
Et quae te primo fulgentem flore juventae
Urbi conspexit, tua jam modo lumina tollens
In caelum vocesque pias, et fausta precare:
Quo castigatae collecta modestia frontis
Exornet juvenes, moresque inducat honestos,
Laudibus et semper meritis praefulgeat Ancon.

S. Officii Anconae die 6 Maji 1857.
IMPRIMATUR
*Fr. Thom. V. Airaldi O. P. Inq.*

—

Anconae die 6 Maji 1857.
VIDIT
*Pro Exmo ac Rmo Dno Deleg. Aplico*
*F. G. Anfossi Pro-R. P.*

—

Anconae 7 Maji 1857.
IMPRIMATUR
*Pro Viro Illmo et Rmo Arch. Episc.*
ANTONIO BENEDICTO ANTONUCCI
*Canon. S. Petrelli*

Coi Tipi di G. Sartorj Cherubini